

## CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

University of Toronto

### *Level Two Medieval Latin Examination*

**7 September 2018**

\*\*\*\*\*

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

\*\*\*\*\*

#### 1. **Boccaccio to Doninno on a request to write a genealogy of the pagan gods**

Sane circa huiusmodi explicationes longe plus quam putes difficultatis et theologi hominis labor est; nam, dato, iuxta Varronis sententiam, ubi *De divinis et humanis rebus* multa descriptis, genus hoc theologie sit, quod mithicon, seu, ut aliis placet et forte melius, physicon dicitur, etsi plurimum ridende falsitatis habeat, multum tamen ad illam eliciendam artis exquirit. Et ob id, miles elegantissime, pensande sunt hominum vires et examinanda ingenia, et sic illis convenientia onera imponenda. Potuit Athlas sustinere capite celum, eique fesso sub onere Alcides potuit prestare vicem, divini homines ambo, et invictum fere robur fuit ambobus. Ast ego quid? Brevis sum homuncio, nulle michi vires, ingenium tardum et fluxa memoria; et tu meis humeris, non dicam celum, quod illi tulere, quin imo et terram super addere cupis et maria, ac etiam celicolas ipsos, et cum eis sustentatores egregios. Nil aliud hoc est nisi velle ut pondere premar et peream.

## **2. Godfrey of Viterbo praises Emperor Henry's erudition**

Scientia literarum, o Henrice omnium regum felicissime, qua tuam eminentiam video eruditam, scribenti michi de imperiali prosapia multam prebet audaciam, et cum ad res arduas pauca michi sit disserendi facultas, ad edenda, que proposui, regia me litteratura confortat; quia, cum illitteratis et rudibus philosophica argumenta proponimus, dum oblata non intelligunt, incassum laborasse videmur. Gaudeo me regem habere philosophantem, cuius maiestatem non oporteat in causis rei publice scientiam ab aliis mendicare neque tamquam nescium aut imperitum consistere, ubi altissima seculi negotia competit actitare. Imperator enim expers philosophie, cum omnibus hominibus solus preesse credatur, ipse, si fuerit philosophie nescius, errare potius quam regnare videtur; quia, dum in causis necessariis sapientia indiget, tunc cogitur docentibus quodammodo subiacere. Quapropter illud ante omnia eminentia tua consideret, quia, licet sollicitudinibus rei publice vel necessitatibus bellicis sepius occuperis, tunc regendis imperii causis evidenter prospicis, cum librorum salutifera documenta requiris.

## **3. Quitclaim by Edward III (1328)**

Cum nos nonnullique predecessores nostri reges Anglie jura regiminis dominii seu superioritatis regni Scocie conati fuerimus obtinere, ob hocque motarum dira guerrarum discrimina Anglie et Scocie regna diucius afflixissent, nos attendentes cedes occisiones scelera ecclesiarum destrucciones et mala innumerabilia que hujusmodi occasione guerrarum regnicolis utriusque regni multipliciter contingebant, bonaque quibus regnum utrumque mutuis compendiis abundaret perpetue pacis stabilitate connexum, ac per hoc contra conatus noxios rebellare vel impugnare volencium interius vel exterius majori firmitate securum, volumus et concedimus per presentes pro nobis heredibus et successoribus nostris quibuscumque ... quod regnum Scocie per suas rectas marchias prout temporibus bone memorie Alexandri regis Scocie ultimo defuncti fuerunt habite et servate, magnifico principi domino Roberto dei gratia regi Scottorum illustri confederato ac amico nostro carissimo suisque heredibus et successoribus, divisum in omnibus a regno Anglie integrum liberum ac quietum remaneat in perpetuum absque qualicumque subjeccione servitute clameo vel demanda.

#### 4. Venantius Fortunatus to Chilperic and Fredegund on the joys of spring

Post tempestates et turbida nubila caeli,  
quo solet infesto terra rigere gelu,  
post validas hiemes ac tristia frigora brumae,  
flamine seu rapidi rura gravante noti,  
succedunt iterum vernalia tempora mundo  
grataque post glaciem provocat aura diem.  
  
Rursus odoriferis renovantur floribus arva  
frondibus arboreis et viret omne nemus;  
dulce saporatis curvantur robora pomis,  
et redeunte sibi gramine ridet ager.  
  
Sic quoque iam, domini, post tristia damna dolentes  
vos meliore animo laetificate, precor.  
  
Ecce dies placidi revocant paschalia Christi,  
orbs quoque totus item per nova vota fremit.  
  
Gaudia plus faveant per celsa palatia regum  
et per vos famuli festa beata colant.  
  
Omnipotens nobis vestram addat in orbe salutem  
atque diu patriam culmina vestra regnant.